IOANNES NOVIOMAGVS RECTOR DAVENTRIENSIS.

IOhannes natus eſt apud Belgas anno circiter 1509. Is poſt prima artium fundamēta iacta, ad uarias Academias Germaniæ peruenit, atq; philoſophiæ & Græcis literis diligenter incubuit. deinde etiam ſtudia Mathematica coluit, & in ijs plurimū profecit. Vnde artium Magiſter creatus Roſtochij aliquandiu publicè docuit. Inde Coloniam peruenit, atq; philoſophiam ordinariè in ea Academia expoſuit. Cum hoc modo magna laude pergeret, Dauentrienſis ſcholæ Rector conſtitutus eſt. Scripſit is ſcholia in Dialecticam Trapezontij. ædidit & Arithmeticā, atq; Ptolomæi libros Geographicos ex Græco in Latinum conuertit. quin etiam libros quoſdam philoſophicos ſuis enarrationibus expoſuit, & hoc pacto omnibus innotuit. Is Ioannes adhuc Dauentriæ ſupereſt, atq; rem literariam plurimùm iuuare magna laude contendit. Anon.